



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

**Parisiis, 1644**

Quod non erat homo deophó[...] Christus, nec simpliciter in homine  
inhabitauit Dei Verbum, sed magis caro sit factum, siue homo perfectus,  
secundum scripturas. Cap. XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15241**

Quod non erat homo θεοφόρος Christus, nec simpliciter in homine inhabitauit Dei Verbum, sed magis caro sit factum, sive homo perfectus, secundum scripturas.

ANNO  
CHRISTI  
431.

## CAP. XVII.

**Q**VI fidem habet in Christo immaculatam, & rectis omnium suffragiis comprobatam, dicat videlicet, quod ipsum ex Deo Patre Verbum ad exinanitionem descenderit, formam serui accipiens: proprium autem sibi faciens corpus, quod est natum ex Virgine, factus sit nostri similis, & nuncupatus sit filius hominis. Est autem Deus quidem secundum spiritum, homo autem idem secundum carnem. Denique diuinus Paulus Iudæorum populum alloquebat, dicens: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et quonam modo intelligatur locutus fuisse Deus & Pater nouissimis diebus in Filio? Locutus est enim antiquioribus per seipsum legem: idcirco etiam ipse Filius suos dicit esse sermones per sapientissimum Moysen. Ait enim: *Nolite putare, quia veni soluere legem, aut prophetas. non enim veni soluere, sed adimplere. Dico enim vobis, iota unum, aut unus apex non transibit de lege, donec omnia fiant. Calum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Ad hoc etiam prophetæ vocem: *Ipsé, qui loquebar, præsto sum.* Ergo cum factus est in carne, tunc locutus est nobis Pater in ipso, sicut ait sanctus Paulus, *nouissimis diebus.* Sed ne parum credamus, quod ipse sit ille & ante sæcula Filius, intulit statim: *Per quem fecit & sæcula.* Splendorem etiam gloriae, & figuram substantiae Patris esse commemorat. Homo igitur factus est vere is, per quem fecit & sæcula Deus Pater; & non, ut nonnulli existimant, in homine fuit, ut tamquam homo intelligatur a nobis Deum habens inhabitantem. Nam si hæc recte se habere confidunt, superuacaneus videbitur esse beatus euangelista Ioannes dicens: *Et Verbum caro factum est.* Vbi enim opus est \* inhumanationis? aut quare incarnatum dicitur Deus Verbum, si non factum est caro? Similem nostri eum factum esse significat & \* vis ἐνώπιον τοῦ οὐρανοῦ hoc declarat; mansisse tamen sic quoque ipsum supra nos, imo etiam supra vniuersam creaturam. Oportere autem existimo, ea quæ dixi, exemplis etiam comprobare, & persuadere, quod factus sit homo Unigenitus, & sit Deus etiam cum carne, ac non magis inhabitabit in homine, \* deiferum ipsum efficiens, tamquam & alios qui diuinitatis ipsius fuere participes.

*Quod Emmanuel Christum Deum in se habitantem habuerit  
aliter quam nos.*

## CAP. XVIII.

**A**IT alibi Deus de nobis: *Inhabitabo in ipsis, & inambulabo; & aero ipsis Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Nec non etiam ipse Dominus noster Iesus Christus: *Ecce ego venio, & si quis mihi aperuerit, intrabo & ego & Pater, & mansionem apud ipsum faciemus, & apud eum cœnabimus.* Nominati autem sumus etiam templi Dei: *Vos enim,*

2. Cor. 6.

ex Lemit. 26.

Apoc. 3.

Ioan. 14.

2. Cor. 6.